Quaestio Medica Quodlibet. Disput. agitanda in Scholis Medic. die Iovis 19a Februarii.

Eruditiss. Viro D. Nicolao Ellain, Doctore Med. moderatore prudentiss.

Estne Venus salubris?

Causarum salubrium Venus suavissima, ad speciei conservationem pernecessaria, magnam habet commoditatem ad vitae salubritatemque tuendam, et ad multos gravesque morbos declinandos ac depellendos. Ad eius usum testes soli seminis authores, et cordi praestantiores, minime sunt necessarii, ad generationem maxime: cuius e nulla specie esse potest citra penis arrectionem, reddens in sinum pudoris intromissionem, nullis maribus aut fascinationibus obnoxiam, nec non seminis calore et spiritu vivifico perfusi eiaculationem. Non aliud tamen fuerit naturam, alioqui nullius artis indigam, vi concupiscibili salis instructam, mutui amoris adiunxisse opinionem et conversationem excitare.

Haec viro actibusque avida, utrique sexui Natura contulit instrumenta, quibus mas in alio, foemina in se ipsa gerit, mira perfecti voluptatis quam viro longe maiorem mulier percipit: sic nullo neque in organis, neque in matrice vitio existente, et mutuo utriusque congressu foetus concipitur, non modo parentum effigiem, sed etiam fantasiae obversantium visibiles imagines. Hinc tibi os convenit, mamma turgent, menses subsistunt, cibi fastidium et pica superveniunt; minime tamen si mas fuerit, qui et citius perficitur et movetur in utero, sic extra tardius augetur quam foemina, et a septimo mense ad undecimum vitalis in lucem editur. Neque fabulosum est aliquando foetum prodire androgynum et sexu ignobiliore distinctum mutari in nobiliorem.

Ut salubris mulieri viro assuetior est, sic et ea plura percipit commoda, quibus vir non est cariturus, si neque corporis langor neque dolor eius usum consequatur. Huic exercendae aetas florida, calidaque et humida temperies aptissima est, praesertim veris et hyemis horis antelucanis, coctione iam absoluta: sed neque biliosis, pituitosis et libidinosis melancholicis omnino fugienda est: quinetiam morbis a pituita commode medetur. At eam procliviores sunt qui seroso et acri humore abundant, et qui ab ephebis huic assueverunt, quo fit ut longa eius abstinentia capitis et lumborum gravitatem, anorexiam, coctionis tarditatem, et febriculas afferat.

Eiusdem intermissio graviora mulieribus parit symptomata, quam menstruorum suppressio, praesertim viduis salacioribus, iuvenibus multo sanguine turgidis, hac aetate proclivioribus minime, gravidae nonnunquam, sterilibus et plurimum, virginibus non raro exercent, quibus praecavendis nullum praesidium tutius et iucundius praesidium quam Venus: quae cum sit morborum virginum et uteri unica medela, uterum malorum sedem omnium mulierum radicem, frigidum calefacit et recreat, siccum humectat, obstructum aperit, gravatum levat, et imbecillum roborat. Eadem ~~gravidis~~ gravidis non parum confert ad partus facilitatem: nutricibus incommoda non est, quibus tamen non sine ratione interdicitur.

Venus ut corporis affectionibus, sic animi pathematis remedio est, quae scilicet tristes exhilarat, melancholicos recreat, iracundos mitigat, pusillanimes et severitati addictos, furorem percitos coercet, elingues reddit facundos, loquaces reprimit, invidia (impotentis animi iudice) macrescentibus solis vix medetur. Zelotypis tamen, qui in desperationem melancholicam plerumque incidunt (ex his enim nonnulli insaniae addicti sunt, ut testes sibi amputasse memoriae sit proditum) magno praesidio est: qui si fundere uxores diligentius colant, et se a vehementi animi perturbatione vindicabunt, et uxores a suffocationis hystericae periculo, a quo liberatae citius concipient, et a partu vitam degent salubriorem.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Est igitur Venus salubris.

Ponebat Philippus Harduynus de St. Jacques Motinensis. 1579.

Dni Doctores disputaturi.

M. Henricus Blacuod.
M. Hugo Prenosteau.
M. Nicolaus Ellain Praeses.
M. Nicolaus Millot.
M. Guillelmus de Baillou Med. Reg.
M. Martinus Akakia Prof. et med. Reg.
M. Symon Malmedy Prof. et med. reg.
M. Albertus le Febvre.
M. Petrus Girault.